



Specimen medicum inaugurale, exhibens binas historias acutae mentis alienationis, feliciter curatae

<https://hdl.handle.net/1874/340453>

7

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE

EXHIBENS

BINAS HISTORIAS ACUTAE MENTIS
ALIENATIONIS, FELICITER CURATAE.

SPECIMEN MEDICINAE INAUGURATAE

.....

ALLENATIONIS, FELICITER CURATAE,
BIVAS HISTORIAS ACUTAE MENTIS

2.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,
EXHIBENS

BINAS HISTORIAS ACUTAE MENTIS
ALIENATIONIS, FELICITER CURATAE,

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
GEORGII GUILIELMI VREEDE,
JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN
MEDICINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
GERARDUS JOSEPHUS TELJER,
e pago Bergschenhoek.
DIE XVIII SEPTEMBRIS MDCCCXLV, HORA V.

TRAIECTI AD RHENUM,
APUD J. DE KRUIJFF.

MDCCCXLV.

SPICERUM MEDICINUM WANDERLAGE

1848

INVAS HISTORIAS ACUTAE MENTIS
ALLENATIONIS, FELICITER CURATAE.

PROFESSORIS MEDICINAE

ET ANATOMIAE REGIUM BAVARUM

FRIDERICI GUILLIELMI FERDINANDI

MDCCCXXXIII

1833

IN ACADEMIA REGIA MEDICINAE

ET

PHYSICAE FACULTATE UNIVERSITATIS

ALTAE BOVARIAE DOCTORATAE

CONFERENTIAE

PUBLICAE

DEFENSIO

ACADEMIAE REGIAE MEDICINAE

ET PHYSICAE FACULTATIS

UNIVERSITATIS ALTAE BOVARIAE

GERHARDUS JOSEPHUS FELLNER

PHYSICUS

IN ACADEMIA REGIA MEDICINAE

Typis K. J. Giebel.

ALTA BOVARIAE

PARENTIBUS OPTIMIS, CARISSIMIS

NEC NON

VIRIS CLARISSIMIS

B. F. SUERMAN,

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK

ET

G. J. LONCO, CORN. JAN. FIL.,

IN ACADEMIA BRENO-TRAJECTINA

MEDICINAE PROFESSORIBUS ORDINARIIS,

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PATENTOFFICER GÉNÉRAL DE FRANCE

LE MINISTRE DE L'INDUSTRIE

ET COMMERCE

H. F. SCHMIDT

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

DE LA MANUFACTURE DE LA BIÈRE DE ROTTERDAM

ROTTERDAM

HISTORIA PRIMA.

N. O. in pago J. . . rustica robusta, plethorica, innupta, temperamentum cholericum, 34 annos nata, semper usa bona valetudine, mansuetae et placidae indolis, proba et religiosa, sedula in negotiis, sibi mandatis, obsequendis, cui menses solito tempore semper redibant, licet parcae essent et brevis durationis, die 10 mensis Octobris A^o. 1830 in caseali post meridiem sola occupata erat, quum ecce, una ex ejus sororibus, voce ipsius audita, nesciens quocum tam alta voce soror loqueretur, cellam festinans intrat, eamque solam videt. Mirans quod illa secum tam clara voce et serio loquatur, et rogans idcirco

quocum tandem occupata sermonem misceret, responsum tulit adeo turbatum, diris verbis sorori insolitis mixtum, ut plena metu discederet, ceteras sorores advocans. Hae cum fratribus et patre eam adeunt, quos omnes eadem ferocitate, diris eos devovens, ad se recepit, minans, se eos e cella trusuram esse, ni statim abeant. Haecce ejus agendi ratio, tam aliena a consueta vita amantissimae filiae et sororis, quae semper miti indole sedulae matris familias partes egerat, (matre jam ante plures annos mortua) omnibus gravissimum dolorem incussit. Magnus fuit labor ei persuadere, ut cella relicta se in cubiculum conferret et cubitum iret, cum crederent, eam febre esse correptam. Quo tamen facto, magis etiam furor exardescibat.

Hora vespertina meum auxilium implorabatur. Adveniēti mihi nuntiatum est, eam jam per plures dies mira et insolita ratione se gessisse et in loquendo et in negotiis exsequendis: eam in templo etiam aliquando alta voce locutam esse et cuiquam maledixisse. Singulares causae, imprimis vero res num-

maria, ob quas ante aliquot dies magna ira exanderat et de quibus quotidie cum exacerbatione locuta erat, ansam huic malo praeuisse videbantur.

Intrmissus vidi eam assidue omnia a se repellentem, vociferantem, clamantem, diris devoventem aut subinde canentem. Facies admodum rubra erat, vultuosa, oculi rubri, crines soluti, saliva tenax circum os, sudor copiosus per totam corporis superficiem cum calida cute et pulsu admodum accelerato, duro, pleno. Mihi, ut ceteris, maledicebat et nulli omnino rationi locum dabat.

Quamvis perdifficilis haecce operatio esset in tam forti foemina, quae nunc, furore abrepta, maximis corporis viribus uteretur, mihi contigit tamen venae sectionem instituere, opem ferentibus quatuor robustis viris, qui virginem semistantem ad murum continerent. Inter varia maledicta et execrationes, vehementi voce prolata, in eos praesertim, quos putaret patrem pecunia fraudasse, sanguis, cum magna vi e largo vulnere exsiliens, in vasculum excipiebatur ad uncias 14 vel 16, multa spuma obductus.

Insuper 5 vel 6 unciae, ut opinor, extra vasculum in solum effusae erant, nam vel cum maxima virium intentione ejus motus satis impediri non poterant, clamantis terribili voce, nos sibi vitam eripere velle, quo factum est, ut satis magna sanguinis copia excipi non posset.

Dum effluebat sanguis, vehemens ejus furor aliquantum minuebatur et ipsa significabat, se velle in sede collocari, et sic ejus brachio fasciam circumdare poteram, quamvis non sine magno labore.

Minutus quidem erat furor, assidue tamen loquebatur, nec capax erat rationis. In lectum deducta tranquille decumbebat. Vultus minus ruber, calor in toto corpore imminutus, pulsus non tam durus et, frequentiam quod attinet, magis erat moderatus.

℞ Fruct. tamarind. unc. i.

Fol. sennae al. dr. iii.

Mannae cal. unc. i.

Coq. et inf. c. aq. ad Col. unc. vii.

d. s. o. h. $\frac{1}{2}$ vasc.

Subinde sinapismi ad pedes.

11^o. Per totam noctem vociferata erat, sine ullo sano sensu omnia proferens et prae ceteris loquens de latronibus et homicidis. Bis tantum de potione sumserat, deinceps vero omnia negarat praeter aquam frigidam. Qui alium ei potum offerre vellet, mox eum veneficum nominabat, dicens se veneno interfici nolle.

Faciei color adhuc ruber erat, oculi valde efferati et splendentes, minus tamen rubri quam heri. Pupilla non praeter naturam erat mutata, pulsus frequens, minus durus, cutis minus calida, magis sicca. Urinam sponte miserat. Alvus clausa.

Ollam gr. xv tart. pot. stib. in aquae frigidae unciiis xxiv soluta continentem prope lectum poni jubebam, ut inde subinde biberet; ad suras magna vesicantia applicabam.

Non diu, postquam abieram, aliquantum aquae bibit, at diris verbis mox exclamare coepit, aquam venenum continere et in bibendo perseverare nolens, ollam in lectum effudit, alta voce clamans. Ad

eam vocatus aliam ollam simili potu repletam ap-
ponendam jussi.

Vesperis aquam fere omnem biberat: plus quam
x gr., ut opinor, tart. emet. sumserat. Etiam nunc
assidue loquebatur, ita ut vox rauca et aspera esset.
Pulsus frequens, minus durus. Enixe me rogabant
circumstantes, ut aliquid darem, quo somnum cape-
ret, hac enim ratione nullo modo quemquam eam
tractare posse. Promisi somniferum, dummodo cu-
rarent, ut medicamentum sumeretur ideoque prae-
scripsi:

℞ Ol. croton. tigl. gt. iij.

Syr. violar. unc. ij.

m. d. s. quam saepissime coch. sumendum.

12°. Hanc noctem valde furibunda peregerat. Cum
vi syrupum capere eam coegerant, bibere vero no-
luerat; sordibus misere se inquinaverat.

Cum matutino tempore aliquantum sedatus esset

furor, eam sordibus purgare nec laesi erant nec poterant, quam ob causam in sordibus iisque non paucis remanserat.

Statim plurium foeminarum ope sordes eluandas et aegram in aliud idque amplius cubiculum et in alium lectum transferendam curavi. Nunc furor erat sedatus et quamquam ad quaestiones non rite et sanamente respondens, tamen magis sui conscia videbatur. Os siccum, lingua, quantum videre potui, alba, sordida, color faciei minus ruber, magis flavus; pulsus fere ut heri, attamen adhuc mollior. Vesicantia suris apposita ne vel ruborem excitaverant, cum mox assidua inquietudine et corporis motu decidissent. Nova igitur applicavi et, tibialibus indutis, firmavi, sinapismos ad pedes applicandos curavi. Pro usu interno xv gran. tart. pot. stib. cum aqua dabantur, quae hoc ipso die sumeret.

Vesperi in eadem erat conditione, subinde tamen minus furiosa.

℞ Ol. croton. tigl. gtt. ij.

Syr. violar. unc. ij.

m. d. s. data occasione sumendum cochl.

13°. Praegresso furore nocturno, qui novam venae sectionem necessariam reddiderat, matutino tempore in statum magis quietum redierat. Sudor nunc erat copiosus, delirium mite. Pulsus multo mollior et minus frequens. Dimidiam syrupi partem sumserat et tantum aquae ut 12 ad 14 gr. tart. pot. stib. eam sumsisse putem. Nulla tamen alvus secuta erat. Libenter clyisma ei applicandum curassem, nisi persuasum mihi fuisset, in hoc statu id fieri non posse. Denuo igitur praescripsi:

℞ Ol. croton tigl. gtt. iii.

Syr. Rub. Idaei unc. iβ.

m. d. s.

sumatur ut praecedens.

14°. Post noctem minus turbulentam, quam prae-

cedens fuerat, licet subinde adhuc exacerbationes furiosae aegram tentaverant, jam satis tranquilla erat, interdum quidem sui compos, plerumque tamen delirans. Pulsus satis mollis erat, modice frequens, cutis madida, facies subflava quidem, nondum tamen omni rubore morbozo privata. Alvum copiosam deposuerat. — Eadem medicina.

Atque in eadem curatione quum pergerem, sensim emendata fuit hujus aegrotantis conditio, evacuatis subinde sordibus intestinalibus. Primum delirium remissiones, dein veras intermissiones habuit atque hoc nomine igitur in hac aegra idem observare mihi contigit, quod in plerisque aliis eo tempore morbis febrilibus decumbentibus. Erant scilicet febres continuae remittentes, quae tandem in intermittentes transibant. Exacerbationes delirii, postquam pulsus ad normam redierat et faciei color naturalis erat, per pulverem Doveri subinde mitigare potui. Obtinebant illae praesertim nocturno tempore. Quum tandem periodicum et quidem tertianum typum induisset delirium, dum in intervallis praeter debilitatem, satis bene

sese habebat, sulphatem chinini administravi eo cum
eventu, ut delirium non amplius redierit. Aliquam-
diu adhuc Infusione valerianae usa fuit atque die
26 Novembris sanata dici potuit.

HISTORIA ALTERA.

Die 20^o mensis Aprilis a^o 1843 N. de B. . . , mulier 57 annorum, cholericæ temperamenti, tenera et procera statura, in agro Y. . . auxilium meum imploravit. Foemina proba victuque sobria semper tranquille et bono animo vitam egerat; nunc vero per aliquod tempus magis sollicita fuerat et distracta; raro morbo laboraverat. Præcedenti die subito risus involuntarius exorsus erat cum saltu cantuque comitatus. Nocte adveniente exarserat gradatim hoc phænomenon, sæpius in furorem mutatum. Per totam noctem in eadem fuerat agitatione, quæ nondum sedata erat, cum ad eam venire: canebat misera

per vices aut diris devovebat aut ridebat; in lecto manere nolebat et vix in cubiculo retineri poterat.

Turbatus ejus sermo et in agendo ferocitas examen aegrotantis valde difficile reddebant; oculi erant lacrymantes, splendentes, facies sordide flava, non tumida, totum os saliva repletum, lingua crassa, ex flavo alba. Aegra saepe salivam spumantem circum se eiciebat. Calor cutis erat modicus, cutis dura, sicca, pulsus frequens, parvus, irregularis, venter tensus et durus, alvus et urina nulla. Praescribebam sequentem formulam:

℞ Tart. potass. stib. gr. vi

Rob sambuc. unc. j

Aq. coct. unc. x

m. d. s.

Omni hora $\frac{1}{2}$ vasc.

Quantum potui, ei persuadere conatus sum, eam morbo esse correptam et praecepi, ut cubitum iret, quod ridens mihi se facturam esse promisit; ceterum sinapismos ei ad plantas pedum applicandos curavi.

21°. Inquietudo nondum imminuta; interdum medicamentum sumere noluit, at vel sic tamen totum sumserat. Assidue loquebatur omnia inepta et vesana proferens. Urina evacuata erat rubra, nulla sedes, cutis humida, magisque calida quam heri, pulsus etiam nunc frequens et parvus.

℞ Tart. pot. stib. gr. xij

Rob samb. unc. i

Aq. coct. unc. xij

m. d. s. o. h. $\frac{1}{2}$ v.

item

℞ Fol. sennae al. dr. ij

Mannae cal. unc. β

Inf. c. aq. ad col. unc. i β

m. d. occasione data uno haustu sumendum.

Circumstantes admonui, ut quam maxime benigne eam tractarent, nec ei repugnarent vel obloquerentur, et inprimis curarent, ne sibi laedere posset.

Cum assidue lecto surgere vellet, praecepi, ut lecto eam continerent, et quantum fieri posset, rite stragulis tectam.

22°. Valde inquieta fuerat nocte proxima, imo vero furibunda, ita ut manus ei vinxissent. Mihi ad se venienti sermone turbato et exsecrationibus utens narrabat, familiam se necare velle.

Caput erat calidum, vultus rubicundiori colore ofusum, sudor copiosus, urina rubra, nulla sedes.

Me praesente nunc, ut heri, magis erat tranquilla, et cum manus ei fortiter essent ligatae, vincula solvebam, pollicitus, si tranquillam se gereret, fore ut in posterum non amplius vinciretur.

Licet circumstantes vererentur, ne in pejus incideret manibus solutis, valde tranquilla manebat et mecum, etsi sermone turbato et interdum cum exsecrationibus, de suo statu confabulabatur. Observabam, eam in manuum musculis vim habere maximam. Mihi roganti libenter obsequebatur manusque vincendas porrigebat, et deficiente veste idoneo cum longis manicis, fasciarum ope manus colligavi.

Quamquam non satis compos mentis, mihi tamen pollicebatur, se tranquillam fore et medicamenta sumturam esse. Priora medicamina, quamvis non tempore praescripto, omnia sumserat. Nec vomitus tamen nec sedes erat secuta, sed sudor fuerat copiosus; pulsus etiam nunc frequens, non vero tam parvus.

℞ Fol. Senn. al. unc. β

Mannae cal. unc. i

Inf. in. aq. ad col. unc. x

add.

Tart. pot. stib. gr. xv

m. d. s. o. h. $\frac{1}{2}$ v.

insuper caput interdum lavetur cum aqua gelida et sinapismi ad plantas pedum applicentur.

23°. Heri ad vesperam valde conquesta erat de dolore in abdomine, vociferans diabolum in ventre esse; tum vero crassas faeces deposuerat, noctem aequè inquieta peregerat. Vultus minus ruber; actiones aegrotantis valde inquietae, sed minus furiosae; pul-

sus minus frequens, aliquantum plenior et mollior, cutis calida et humida, lingua valde sordida, os spumanti saliva repletum, quam libentissime cuique circumstanti in os ridens eiciebat, urina rubro colore tincta.

Eadem praescripsi medicamenta ut heri, et pro potu aquam cum lacte, vel infusum theae vel aquam frigidam, utut vellet.

24°. Ter alvum deposuerat, faeces nempe fuscas, male olentes, pulposas, partim in vasculo partim in lecto, frequens etiam nausea adfuerat, sine vomitu tamen. Per totam noctem irrequieta fuerat, sed minus furibunda; urina etiam nunc rubro colore tincta, videbatur sedimentum depositura esse. Cum nunc magis placidam se gereret, brachiorum vincula laxabam, pollicens, eam non amplius vinctum iri, si quiesceret.

Melius quam antea ad mea dicta animum attendere videbatur; inter plura inania verba magis distincte etiam ad quaestiones respondebat; nunc etiam mihi roganti linguam monstrabat, quod antea non facile

faciebat; cutis minus humida, lingua minus crassa, pulsus fere ut heri, aliquantum mollior.

Iteret. medicam.

d. s. ut heri.

Quum jam magis sitiret, et aquam frigidam prae ceteris potibus praeferret, ei non repugnabam, ut plerumque aegrotantibus aquam desiderantibus, morem gerere consuevi.

25° Noctem valde irrequieta peregerat, et cum denuo furiosam se gessisset, iterum erat vineta: bis alvum copiose deposuerat, faeces erant nigrae, pulposae, urina antea rubra, nunc crassa et alba erat. Sudor copiosus, pulsus plenior, mollior et rarior; cetera symptomata ut heri.

Potionem fere totam sumserat, subinde tamen magno cum labore. Ad tempus matutinum furor fuerat diminutus; nunc quidem multa loquebatur, plura autem suppressa voce secum referens et majorem ostendens propensionem in delirium mite.

R₃ Fol. sennae al. unc. β.

Fruct. tamarind. dr. vi.

Mannae cal. unc. i.

Inf. in aq. ad col. unc. x.

adde

Extr. gramin. unc. β.

m. d. s. ut supra.

Quatuor diebus sequentibus in eodem fere statu aegra manebat, per vices quieta et agitata erat, major irrequies per noctem. Eadem medicamenta assidue sumebantur, quorum ope ter vel quater de die deponebat faeces crassas, argillaceas, modica copia. Quamvis magno cum labore pro magna parte tamen ad praescriptum tempus medicamenta administrabantur. Lotiones ex aqua gelida in magna inquietudine bonum effectum praestabant et aegrotanti erant acceptae. Nullo cibo utebatur, aqua frigida unicus erat potus.

30° Noctem valde quieta peregerat, interdum pla-

cide dormiverat, saepe secum locuta fuerat. Sub diluculum copiosam alvum deposuerat, faeces fuscas, tenaces, in quibus duo magni vermes. Satis compos mentis aegram se sentiebat, nec tamen sciebat, quare brachia ita ligata essent. Ei dicebam hoc ejus commodi causa factum, quod in morbi fervore brachia nimis movisset. Hoc responso valde erat contenta, pro magna cura gratias mihi agebat, manum meam vehementer premens, dum diceret, se sentire magnam in capite debilitatem, nec posse loqui neve cogitatione uti: saepe etiam confuse loquebatur, quod tamen ipsa sciebat; oculi efferati, sed minus splendentes, vultus pallidus, flavus, cutis calore normali, pulsus adhuc amplius 60 in minuta, mollior magisque regularis, venter multo minus tensus, lingua humida, minus crassa magisque pura.

Vinculis eam liberavi, et ut quid nutrimenti caperet, praescripsi lac aquâ mixtum cum pane bis cocto. Sinapismos sustuli, quod de dolore pedum querebatur. Pro usu interno:

℞ Extr. gramin.

„ cichorei $\overline{\text{aa}}$ unc. β

Aq. coctae unc. viij

m. d. s.

omni hora duo cochl.

1° Maii. Hanc noctem magis irrequieta peregerat, non quidem furiosa, sed valde loquax, plura sermone turbato referens ante sibi facta visorum, quae tamen nunquam acciderant. Sedes perparca fuerat sordium crassiorum, lingua aliquantum magis sordida.

℞ Fol. sennae al. unc. β

Inf. c. aq. ad col. unc. viij

adde

Tart. pot. stib. gr. ij

Sacch. alb. unc. β

m. d. s. o. 2 h. 2 coch.

Ter alvum copiose deposuerat: sordes crassas, nigras, quibus se admodum levatam esse dicebat. Multo

meliori statu se ipsam sentiebat, magis perspicue loquebatur et articulate; nunc quieta in lecto decumbebat et saepius placide dormiebat. Pulsus prorsus normalis, mollis absque debilitate. Nunc quoque cum verbi divini ministro loqui volebat, quem etiam agnoscebat, antea vero, ut ceteros, devovebat.

Nutritum: jusculum ex carne vitulino; potus: aqua cum lacte.

R₂ Fol. sennae alex. dr. ij

Inf. c. aq. ad col. unc. vij

adde

Extr. gramin. unc. i

m. d. s. o. 2 h. 2 coch.

Eodem modo curatione procedente, quotidie bis vel ter sordes nigras, male olentes evacuabat. Pedetentim sensus redibant, alternis vero noctibus valde irrequieta erat; cui inquietudini bono cum successu opponebatur i gr. Extr. Hyosciam. nigr. cum $\frac{1}{2}$ gr. pulv. r. ipeccac. et sacch. alb.

10^o Maji. Multo meliori erat conditione, sed debilem se sentiebat; nullus ciborum appetitus. Sedes nunc non amplius erant crassae nec fuscae; urina crassa cum multo sedimento. Praescripsi nutrimentum magis roborans, etiam vinum aqua mixtum et

R Cort. Peruv. fusc.

Rad. valerian. s. \overline{aa} unc. β

Coq. et. inf. c. aq. ad. col. unc. x.

adde

Sacch. alb. unc. β

Aeth. sulph. alc. scr. ij

m. d. s. o. 2. h. coch.

R Extr. aloës aq.

pulv. rad. Rhei \overline{aa} scr. ij

Sapon. med. dr. β

Ol. menth. pip. gt. ij

m. f. pill. gr. iij in pulvere glyzyrr.

d. s. ter de die duas pillulas.

Hoc modo curatione continuata, sensim conva-
luit, ita ut 28° mensis Maji animi corporisque vires
optime recuperasset. Solitis occupationibus domes-
ticis fungebatur, tranquillo et quieto fruebatur animo
et deinceps bona mansit valetudine.

EPICRISIS.

Binas tradidi historias acutae mentis alienationis. Quam denominationem non ita accipiant Lectores, ac si mentem ipsam aegrotare posse credam, eo nempe sensu, quo corporis morbos intelligere solemus. Etenim per mentis alienationes sive morbos mentales, ut a multis appellantur, intelligimus affectiones cerebri vel idiopathicas vel sympathicas, quibus actio mentis magis minusve impeditur. Cerebrum enim organon dici meretur, cujus ope rerum exter-
narum cognitio cum mente communicatur et mens in hac tellure agere potest.

Acutam mentis alienationem diximus, quoniam in

utroque casu decursus morbi acutus fuit. Erunt fortasse, qui contendant, mentis alienationem in utroque casu symptomaticam fuisse, sequelam nempe necessariam gravis in corpore morbi, meque igitur morbum illum, non vero symptoma ejus inscribere debuisse. Iis autem respondeo, talem reprehensionem non in me tantum valere, sed in omnes auctores de morbis mentalibus, qui nomina desumant a ratione, qua mentis functio a norma recedit, non vero a morbo, corporis illam alienationem producente. Praeterea non eadem, puto, conditio morbosa mentis alienationi in utroque casu subfuit. Praeferenda igitur mihi videbatur inscriptio, quae utrique historiae accommodata esset.

Si jam quaeritur, quid in conditione morbosa utriusque aegrotantis praeter formam symptomatis praecipui, id est, mentis alienationis, aequale fuerit, illud gravem cerebri irritationem habere non dubito. Di-

versa vero mihi videtur fuisse hujus irritationis origo, neque eadem omni morbi tempore ipsius indoles. In prima aegrotante morbi origo partim a plethora repetenda videbatur, erat enim constitutionis valde plethoricae femina, et fluxus ejus menstruus admodum parvus, partim, et hoc quidem praesertim, ab animi pathematibus. His enim illo tempore saepius exposita fuerat in colloquiis de seditione Belgarum, quae nuper acciderat. Alia insuper de causa rem nummariam spectante ante breve tempus ira vehementer exanduerat. Num sordes gastricae etiam aliquid contulerint ad morbum producendum, affirmare non audeo. Aggravaverunt fortasse effectum reliquarum causarum, inprimis animi pathematum.

Quod ad indolem attinet irritationis cerebri in prima aegrotante, hanc inflammatoriam fuisse, tum e feminae constitutione, tum e pulsum frequentia, fortitudine et duritie, e faciei et oculorum rubore insigni atque e calore totius corporis, inprimis capitis adaucto, tum denique e curationis antiphlogisticae eventu salutari, jure effici posse credo. Verum est,

symptomata illa ex sola sanguinis congestione et irritatione systematis nervosi gravissima explicari posse. Non verisimile tamen mihi videtur, inflammationem hic abfuisse. Et quoniam observationes recentiorum praesertim auctorum et in his etiam Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK docuerunt, inflammationem piae meningis in superiori et anteriori cerebri superficie propter irritationem substantiae corticalis, quam producit, mentis alienationem provocare, talem inflammationem in aegra, cujus in prima historia mentio facta est, adfuisse puto.

Hujus autem morbi ortum ita mihi propono, ut primum ex animi perturbationibus gravioribus et repetitis irritatio cerebri nervosa facta sit, cui dein accesserit congestio et tandem inflammatio. Symptomatum ortus et progressio hanc sententiam probare videntur. Jam aliquamdiu enim insolitam morum alienationem in femina ista observaverant cognati, antequam aliquid manifeste morbosum ipsis appareret. Tum vero furor subito excanduit et manifeste aderant incitatae sanguinis circulationis et congestionis cere-

bralis, nec non, ut videtur saltem, inflammationis symptomata. Morbi decrementum tale fuit, ut primum inflammatio et congestio, dein irritatio nervosa abierit. Scilicet postquam circulatio ad normam reducta erat et congestionis cerebri symptomata evanuerant, delirium tamen, interdum etiam furor, perstitit adhuc. Primum autem remissiones, dein veras intermissiones habuit et typum tertianum induit. Quo induto, per Sulphatem Chinini sublatum fuit. Genius epidemicus hic influxum habuisse potest.

Sive admittatur, tantum irritationem cerebri adfuisse cum congestione sanguinis vehementi eo tempore, quo auxilium meum imploratum fuit, sive veram etiam inflammationem, nemo, credo, mirabitur, me largam instituisse venae sectionem et remedium purgans fortius administravisse. Sanguinis enim et copiam imminuere et impetum a capite avocare, consilium medendi erat, cum e morbi symptomatibus, tum ex aegrotantis constitutione petitur. Huic autem indicationi optime satisfieri poterat per venae sectio-

nem largam atque per revellentia tum pedibus, tum canali intestinali admota. Hoc igitur consilio sinapismos pedibus affigi curavi atque infuso-decoctum de fructibus Tamarindorum, Manna et Foliis sennae praescripsi. Hanc potionem vero quum recusaret aegrotā, Tartarum Emeticum praescripsi satis magna dosi atque, increscente furore, ut fortius in intestina revellerem, oleum crotonis, tum ab aliis, tum vero praesertim ab ABERCROMBIO in phrenitide maxime commendatum.

Quod ad Tartarum Emeticum attinet, quem inter Francicos GENDRINUS et LALLEMANDUS pluresque alii in morbis cerebri et meningum inflammatoriis impense laudant, hunc auctore praesertim Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK, in maniacis meae curae commissis saepissime adhibui et semper fere cum optimo effectu. Qua ratione in ejusmodi aegris agat, sive directe temperando orgasmum vasorum et erethismum nerveum, sive indirecte, vicaria irritatione in membrana mucosa et musculari intestinali producenda, certo statui non potest. Prior vero explica-

tio commendabilior videtur, quia maximae saepe doses manifesto effectu in membranas illas carent. Quamquam fuerunt medici, qui ad drachmam et majorem etiam dosin Tartarum Emeticum de die dari posse contenderint, ego tamen nunquam plus quam viginti vel viginti quatuor grana exhibeo, metu, ne venenatos edat effectus. Non metuendum esse vomitum, et hic casus et plures alii me docuerunt. Cerebro tam vehementer irritato, multum imminuta esse videtur ventriculi sensibilitas.

Sublata per curam expositam morbi vehementia, apto praesertim regimine omnia avertere conatus sum, quae exacerbationem producere vel naturam in opere sanationis, quam ab ipsa sperabam, turbare posset. Pulvis Doveri subinde sedantem effectum habere videbatur. Tandem autem propter periodicum delirii reditum Sulphatem Chinini exhibui, felicissimo cum eventu. Debilitato per horrendam illam irritationem systemati nervoso Infusio Valerianae multum profuit, dum alvo non respondente, leniora purgantia praescribebantur. Atque sic plenariam femina

illa recuperavit sanitatem, nunc etiam, id est, post quindecim annos superstitem.

Mulier, cujus morbum in altera historia descripsimus, gravi etiam laborabat cerebri irritatione quippe quam delirium illud perpetuum summaque corporis agitatio manifeste denotabant. Meningitis vero in hoc casu non adesse mihi videbatur. Nullus enim rubor vel faciei erat vel oculorum nec caput praeter modum calebat. Pulsus quidem frequens erat, sed parvus et irregularis. Hic pulsus quidem per se nihil probat pro absentia inflammationis meningum vel cerebri, nam in plurimis phreniticis recentiores medici talem pulsum invenerunt. At vero sine gravibus congestionis signis statum nervosum potius mihi indicare videbatur sine inflammatione.

Num autem irritatio illa cerebri, quae tam vehemens producebat delirium, idiopathica erat, causis, externis excitata, an vero sympathica, conditionibus

morbosis in aliis corporis partibus haerentibus tribuenda? Animi pathemata in hoc casu non praegressa erant. Pridie cursu per quatuor horas continuas corpus suum, vitae sedentariae adsuetum, valde defatigaverat. Incitata per cursum illum sanguinis circulatio, fortasse etiam refrigerium corpore sudante domi susceptum, aliis gravioribus causis faventibus, tanquam ultima causa occasionalis agere et insultum illum gravem producere potuit. Sine gravioribus vero potentiis nocentibus tantos effectus a tali causa mihi fingere non poteram, Interim omnibus quae observari possent, bene observatis, nisi certa, saltem probabilis diagnosis haberi posse mihi videbatur. Facies nimirum sordide flavescente colore tincta erat, lingua flavo sedimento obsessa, abdomen tumidum et valde tensum erat. Semper haec mulier laborabat alvi constipatione et ex quo menstruus fluxus cessaverat, saepius molestias haemorrhoidales passa erat. Odontalgia, cardialgia, flatulentia, cordis palpitacionibus saepius corripiebatur. Ex his igitur omnibus, simul consideratâ aetate proveciore et vivendi ra-

tione sedentaria, non dubitavi concludere cerebri affectionem in hoc casu esse sympathicam, causam vero primariam haerere in plethora venosa abdominali et infarctibus intestinorum.

Prognosis eo quidem sensu minus infausta dici poterat, quam in priori casu, quod nempe ipsius cerebri affectio, propter absentem inflammationem, minus periculosa videbatur. At vero, quae nondum aderat, facile oriri poterat inflammatio. Insuper in aetate hujus aegrotantis proveciore, si gravior accederet congestio, facile apoplexia produci poterat vel etiam mors subitanea ex viribus cerebri summa incitatione exhaustis. Itaque et ob has causas et ob vehementiam symptomatum graves in abdomine turbas indicantem, infaustissima mihi erat prognosis, nec minus certe ego, quam cognati hujus mulieris, gaudium percepi ex felici et inexpectato curationis successu.

Sanguinis detractio in hoc casu, me quidem judice, non indicata vel potius contraindicata erat. Cerebri enim vel meningum inflammatio non adesse

videbatur, neque, quum prima vice ad aegrotantem accederem, congestionis symptomata observabantur. Serius quidem major fuit sanguinis ad caput impetus, quem scilicet rubicundior faciei color denotabat. Attamen non tantus erat, ut depletionem requireret. Depletio verosimiliter nocuisset. Tollere irritationem cerebri non potuisset, quoniam causa ejus praecipua in infarctibus abdominalibus posita esse videbatur. Naturae vero vires, quibus indigebat, ut arte adjuta potentias nocentes ex abdomine repelleret, praeter necessitatem imminuisset atque universum organismum debilitando promovisset periculum paralyseos subitaneae, quae in seniori illa femina vehementem erethismum facile excipere potuisset.

Si irritatio cerebri idiopathica fuisset, narcotica, inprimis opium, convenisset. Ab hoc remedio vel solo exhibito vel in pulvere Doveri in irritatione cerebri, recente praesertim, si nulla adessent congestionis signa, miros effectus saepe observare mihi licuit. Sic v. c. memini puerperam teneram, quae ante quatuor dies pepererat, in vicinitate mulieris, cujus

historiam narraui, habitantem. Haec puerpera, quam certiore fecerant de misera vicinae conditione, graviter inde commota e somno nocturno evigilans surgebat et foras exire volebat, ut maritum quaereret, quem credebat clanculum se reliquisse. Non sine magno labore lecto contenta in vehemens et furibundum quidem incidebat delirium, ita ut, matutino tempore arcessitus, eam invenirem genibus innixam, brachiis denudatis, capillis passis, turbato sermone utentem, maritum inprimis, quem admodum amabat, devoentem. Mammae, pridie turgidae, jam collapsae erant. Lochia cessaverant. Pulsus frequens erat, parvus et contractus, facies pallida, cutis sicca et frigida. In hac rerum conditione praeter aptum regimen praescripsi duos scrupulos Pulveris Doveri, cujus omni hora decem granis uteretur. Effectus salutaris fuit. Furore sensim imminuto, in sudorem incidit copiosum et in somnum placidum. Sequenti die compos mentis erat, sed loquax et agitata. Aliquis redierat lochiorum fluxus; urina, quae pridie pallida erat, jam magis colorata, mammae

vero flaccidae. Perrexi in administratione ejusdem remedii, dosi licet minori, eo cum eventu, ut intra paucos dies, restitutis lochiis et integra mammarum functione, sanitatem recuperaverit.

Quoniam vero irritatio cerebri in muliere, de qua agimus, non erat idiopathica, indicationi causali satisfaciendum erat. Haec autem requirebat remedia alvum ducere valentia simulque plethorae venosae abdominali accommodata. Tartarus Emeticus huic scopo respondere posse eoque magis in hoc casu indicatus mihi videbatur, quoniam etiam in primario erethismo cerebri egregie sedantem virtutem possidet. Quia magni momenti est remedia delirantibus ita dare, ut vel placeant vel gustu non percipiantur, in hoc casu gratum sumsi vehiculum; in priori, ne quid perciperet aegra, in sola aqua solvi Tartarum Emeticum.

Quum autem alvus per hoc remedium non satis moveretur, fortiora cathartica simul propinare debui. Evacuatio sordium multarum, crassarum, profunde coloratarum et pessime olentium, ut in historia morbi

retulimus, quemadmodum linguam emendavit et abdominis conditionem externam, sic etiam mentis actionem sensim sensimque liberiores reddidit et tandem corporis et mentis integritatem, si debilitatem excipias, restituit. Hanc autem debilitatem per corticem Peruvianum et Valerianam penitus tollere mihi contigit, dum usque ad finem curationis alvi rationem habui et dietam resolventem commendavi.

— 376 —

THESES.

I.

Caloris animalis fons praecipuus in novis, quae in corpore vivente obtinent, connubiis positus esse videtur.

II.

Color sanguinis ruber non ferro producitur.

III.

Saliva digestioni prodest.

IV.

Aëris constitutio in patria nostra magis ad chronicos, quam ad acutos morbos disponit.

V.

Ut sanitas, sic morbus etiam est conditio naturalis.

VI.

Experientia probat, naturam suos habere a recto tramite recessus atque errores, neque raro artis esse, naturam regere, juvare aut cohibere. SURINGAR.

VII.

In diaeta et omni regimine vitae princeps cernitur Artis auxilium.

VIII.

Acutorum morborum non omnino tutae sunt praedictiones, neque mortis, neque sanitatis. HIPPOCR.

IX.

BROWN dicit »opium est excitans mehercule; SYDENHAM dixit »opium est mehercule sedans.» Ambo veritatem dixerunt.

X.

Opium, optimum antispasmodicum, plerumque nocet in spasmis, aegrotantem plethoricum corripiente. Hic igitur venae sectio saepe praefenda usui opii.

XI.

Qui in omni febre typhoidea eandem medendi methodum sequuntur, male agunt.

IV

XII.

In angina, dolores citra evidentem causam cessare, aut ad caput, pulmones, praecordia aliasve partes transferri, perniciosum plane est.

HIPPOCR.

IV

XIII.

Mania non est animi morbus, sed cerebri affectio vel idiopathica vel sympathica, animi functiones turbans.

IV

XIV.

Die psychische Indication (in hysteria curanda) ist von solcher Wichtigkeit, dass ohne sie die übrigen misslingen.

ROMBERG.

XV.

In retentione urinae nunquam catheterem argenteum applicare licet, si quoddam tempus in vesica manere debet.

XVI.

Plethora abdominalis saepissime causa est abortus, vel partus praematuri.

XVII.

Placenta nec cito semper post infantem natum extrahi,
nec naturae viribus semper relinqui debet.

XVIII.

Etiamsi post exitum placentae uterus ita contractus sit,
ut quasi globulum durum sentire nobis videamur, non
semper tamen sine metu haemorrhagiae esse possumus.

XIX.

In applicanda fascia, abdomen comprimente, post par-
tum et apud puerperas, maxima cura et prudentia adhi-
benda est.

XVII

... ..
... ..
... ..

XVIII

... ..
... ..
... ..

XIX

... ..
... ..
... ..

XX

... ..
... ..
... ..

XXI

... ..
... ..
... ..

XXII

... ..
... ..
... ..